

et ab ipsa veritate ducete, quas non cessabis iterum iterumque repeterem  
et eum ad perseverandum hortari. Carissimi in Christo filii nostri  
Maximiliani Romanorum regis illustris optimum animum et indefessum  
studium ad recuperationem civitatum et terrarum S. R. E., cum ex  
aliis multis rebus tum ex litteris, quas adoratores suos novissime Venetias misit, percepimus, nosque ei ob hoc quotidie magis debere cognoscimus. Igitur hortandi erunt oratores ipsi, ut restitutioni hujusmodi  
opportune importuneque instent. Nos ad eos scribimus, prout suades,  
litterarum exemplum presentibus introclusum mittimus, easque sibi  
tradi mandavimus. Tabellarii error fuit, ut superiores littere nostre  
tibi priusquam illis non fuerint reddite. Datum Rome apud S. Petrum  
die XVII. Octobris 1504, pontificatus nostri anno primo.

*Conc. Lib. brev. 22, fol. 193. Archivio segreto pontificio.*

### 83. Papa Giulio II agli Elettori tedeschi.<sup>1</sup>

Roma, 28 ottobre 1504.

Venerabilibus fratribus nostris et dilectis filiis nobilibus viris sacri Romani imperii principibus electoribus... Venerabilis fratres nostri et dilecti filii nobiles viri salutem etc.... Carissimus in Christos filius noster Maximilianus rex Romanorum illustris, qui S. R. E. est advocatus, ut est observantissimus S. Apostolice sedis animique celsi atque invicti, misit nuper legatos suos ad Venetos pro restitutione civitatum, arcium et locorum ejusdem S. R. E., quas ipsi Veneti, ceca relique Italie dominande libidine ducti, facta pace cum Turcis contra Deum atque omnem justitiam in provincia nostra Romandole occuparunt et occupant. Multum quidem legati ipsi apud ipsos Venetos deberent valere, utpote a rege Romanorum et advocate S. R. E. missi, cui in omnibus rebus presertim tam justis obsequi eos par est. Verumtamen nos considerantes, quod si vos quoque, qui praecipua membra sacri Romani imperii estis, et ejusdem sancte sedis semper observantissimi fustis, vestrum nomen vestramque auctoritatem huic legationi addideritis, ut consensu totius inclite nationis Germaniae defensio S. R. E. videatur suscepta, plurimum huic restitutioni accelerandae conducere poterit; vos, qui supra ceteros principes et nationes insigni prerogativa ac dignitate decorati estis, in Domino quanto possumus studio et affectu rogamus, ut ad venerabilem fratrem episcopum Acquensem ejusdem regis oratorem nunc Venetiis existentem velitis scribere et injungere, ut causam restitutionis hujusmodi etiam vestro nomine prosequatur omni studio; quod si feceritis, ut speramus, erit immortali laude dignum et nobis supra quam dici possit gratum, prout dilectus filius magister Marianus de Bartolini<sup>2</sup> causarum palatii apostolici auditor, orator noster, latius explicabit, cui fidem indubiam prebere velitis. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII. Octobris 1504. Pontificatus nostri anno primo.

*Conc. Lib. brev. 22, f. 201. Archivio segreto pontificio.*

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 699.

<sup>2</sup> Cfr. sopra p. 699.